



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 19. De Tucumaniaë rebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

**TUCUMANIA** inter Paraquariam & Chilenum regnum media, ab Oriente partim ipsi Paraquario, partim Argenteo flumini adjacentes terras respicit, ab Occidente Peruvia montibus terminatur. Versus Austrum planitie camporum ad fretum Magellanicum exprorecta, qua Septentrioni obvertitur, ferocissimis nationibus intercipitur. Intra temperatam zonam tota est, nisi qua extrema sui parte in Torridam aliquousque excurrit: & quod mireris, ea pars frigoribus immodicis obnoxia, utpote montibus ardua, varias veterum de zona torrida conjecturas luculenter explodit. Caterum Tucumania trecentis leucis varia latitudine in eorum ferme desinente longa, quadrifariam universim habitatur. Australiores in campis & abruptis montibus nullo fixo loco vivunt, victum venatione quaerunt: stercora portatiles pro tentoriis aut domibus habent. Boreales in paludibus piscatione praesertim se sustentant. utrisque eadem ferocitas: Australibus proceritas, Borealibus stupiditas major. Inventa ossa Gigantum quadruplo staturam hominis superantia: quamquam jam vix reperias qui octo pedes excedant, alii tenebris nati, ipso aere sibi interdicentes, integra fere vita, factis sub terra speluncis sese sepeliunt. Ultimi denique in exiguis pagis per valles & montium asperitates ob Peruvia vicinitatem, & commercium, aliquanto cultius ac lautius degunt. Eadem ferme omnibus innata legnities, eadem inertia: aëris & argenti, quo non carent, exiguus usus. Aurum multum illis deesse mavelim asserere, quam Europæ scrutandi diligentiam. Tucumanes ovibus ad portanda onera utuntur, quarum forma cum Camelorum pullis comparari potest: magnum robur earum est: lanarum verò longè major, quam nostratibus, tenuitas: ex his omnis generis vestes, fericas maxime referentes, textuntur. Sunt item leones, quorum est cum Africanis consimilis figura, magnitudo tamen & magnanimitas longè inferior. Molossi molem non excedunt, nec rabiem, viresque vix exæquant: ius non alunt, solo ferme rugitu terribiles. At tygrum tanta est ferocitas quanta nullibi terrarum. Principes in Tucumaniâ fluvii duo sunt: unus à sapore Dulcis, alter ab falsedine Salsus nuncupatur. Uterque quamvis innumeris rivis augeatur, torrenti quam fluvio similior, ne linterium quidem, nisi per intervalla, capax est. Secundum hos Carcanial celebratur: alii denique obscurâ tenuique origine nati, ubi aliquantulum terræ spatium percurrent, suæ velut inopiæ verecundiâ, aut ab hiatibus absorberi, aut à lacubus antequam nomen nanciscantur, ebibi se sinunt. Horum aliqui lignum & ossa in lapides vertunt, & tumores sub mento hominum & aliorum animalium pendentes, magnarum lagenarum ad instar, gignunt, quos aliorum fluviorum aqua dissolvunt. Fluminum paucitatem abundè compensant è montibus & silvis fontium scaturigines, & in campis lacus, unde factum, ut olim magna sui parte Tucumania frequentaretur. Satis constat, à primis Hispaniæ colonis aliquot centena capitum millia in non magnis regionibus censita fuisse. Quæ Peruvia contermini erant, Ingæ Regi parebant. Cæteri in factiunculas divisi, Casiquis adherabant, non tam moribus, quam diversitate linguarum notabiles. Rarè duarum triumve factionum populi ad propulsandos hostes conjurabant: nec aliud Hispanis olim fuit utilius ad debellandos hos populos, quam quod in commune vix consulerent.

**PRIMUS**, quod sciam, Tucumaniam detexit, 'nescio' quis Cæsar, Sebastiani Gavoti miles, qui anno sesquimillesimo trigesimo cum tribus sociis ex fluvio Argenteo in Peruviam iter exploraturus, inauditâ prorsus audaciâ felicitatèque, per terras nondum cognitatas, per immensas rupes paludèsq; progressus, Tucumaniam totam, tum Chilenis regni fines, denique Peruvia maximam partem obiens, tandem ad Cusquensem urbem eo tempore pervenit, quo Franciscus Pizarrus Atavalipam Ingam. Cacamaræ paludibus eductum vincitumque, destinabat ad mortem: confectis hoc in itinere bis mille leucis. Sed quia de terris ab eo milite reperitis, multa fabulosa traduntur, quæ post sæculum integrum adhuc fascinant multorum animos, arbitrantium in Australi Americâ terram ab hoc Cæsare Cæsarum dictam, adhuc esse irreperitam, auro argentoque scatentem, & hominum multitu-

CAPUT  
XIX.  
De Tucumania rebus.

*Tucumania situs.*

*Indigena.*

*Animalia.*

*Fluviana.*

CAPUT  
XX.  
De primis Tucumania reperi-  
toribus &  
urbium fundatori-  
bus.

*Fabulosa  
Cæsarum  
regio.*

dine